DE MERCURII ABUSU MORBISQUE AB EO PROFECTIS DISSERTATIO...

Antonio Sandri



DE MERCURII ABUSU

MORBISQUE AB EO PROFECTIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN CELEBERRIMA AC PERVETUSTA

UNIVERSITATE PATAVINA

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA OBTINENDOS

PUBLICE DEFENDIT

ANTONIUS SANDRI

VICETINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVII.

Da veniam scriptis quorum non gloria nobis
Causa, sed officium ....

Ovid.

Famosum illud remedium, quo vix unquam aliud ad sanandos morbos vere multos praesentius existit, quo nihil potius ad perdomandam luis venereae ferocitatem majorum nostrorum solertia invenit, si ut par est adhibitum vitae salutique hominum egregie prospicit, ita mala plurima, eaque periculosissima ab ejus abusu proficiscuntur. Nimirum multum valent mercurialia sive ad utilitatem, sive ad perniciem: arma illa sunt, quorum vehementissima acies, quamcumque in partem convertantur. Quantum enim damni haec inferant necesse est, ubi ab imperitis eorum manibus usurpentur, qui et quum salutaria, et quum lethalia esse possint, penitus ignorent! Adeo suspecta sunt beneficia quae ex medicamento tam ancipiti ac versipelle redundant, ut de eo apte dici possint quae de mercurio suo commentabatur poeta:

.... animas ille evocat orco,
Pallentes alias ad tristia Tartara mittit,
Dat somnos, adimitque, et lumina morte resignat.

Quocirca si vel ab ipsis syphiliticae labis incrementis, tot medici auctoritate et consilio praestantes vocem sustulerunt, ut mala ex mercurio prolapsa aliis patefacerent, ac procul arcerent, quid tam dignum, tamque necessarium in quo ela-

boremus, quam ut abusionem hanc quotidie magis increscentem prohibere conemur? Nam mercurialia tam late, tam crebro tamque inconsulto nunc usurpantur, ut quae jampridem unius tantum syphilidis curationem adimplebant, nunc praejudicata quadam opinione universis prope morbis objiciantur. Quare nil est cur miremur si ab nimia mercurii copia atque improvida ejusdem ministrandi ratione, peculiares morbi neque jam antea cogniti in medium prodierint. Nova haec morborum series a neotericis medicis *irritamenti mercurialis* nomine designata, quum in omnibus oriri possit in syphiliticis plerumque educitur. In his enim prae aliis hydrargyri abusus fit partim ob ambiguam morbi faciem diagnosin nostram decipientis, partim ob quorumdam Empyricorum arrogantiam. Sunt enim qui licet in physicis parum sciant, tamen vulgari quadam experientia freti multum sibi sumunt, et venereae labis curationem temerario ausu aggrediuntur, quin ad morbi indolem et ingenium, ad aegri conditionem, ad remedii naturam, ad rerum circumstantium vicissitudines idoneam attentionem valeant adhibere. Ejusmodi Jatraliptae satis vafro fabularum apparatu instructi mercurialia sua credulis aegris offerunt ultroque objiciunt, quum fidem apud illos praesertim inveniant, quos ab honesti peritique hominis consultatione pudor avertit.

Verum enimvero si prudentis est ineptum hydrargyri usum redarguere, ac pro virili parte compescere, absit tamen quod a medicamentorum censu eliminandum arbitremur. Ratio jam et ob-

servatio in aperto posuit, quot et quaenam morborum genera potissimum therapiam hanc bono jure sibi vindicent. Ut igitur mala quaecumque vitentur, et ea quae par est utilitas exinde excitetur, medicorum diligentiam ad quaedam capita accersere consultum duxi, in quorum disquisitione totus nunc ero. In primis de mercurio generatim verba faciam, quos effectus in animale corpus gignat, quaenam in medenda syphilide illius agendi ratio probabilior videatur, exponam, deinde quando mercurialis morbus provocetur, quibusque praesidiis tum praecaveri tum sanari possit ostendere conabor.

In hoc vero tam difficili argumento, in hac tanta loci amplitudine, coram vobis, Professores sapientissimi, ut ingenii mei tenuitatem, doctrinae inopiam, experientiae defectum considero, dubia fateor mihi mens haeret, et propositarum quaestionum gravitatem jure optimo reformidat. Quidquid tamen probatissima medicorum instituta et disciplinarum recordatio, quibus me imbuistis ad hoc conferre valent, id omne diligenter impendam, ut suscepto muneri satisfaciam. Et quoniam periculum hoc ex praecepto subire mihi necessum est, ac ulterius patientiam vestram morari non decet, continuo rem aggrediar. Vos de re medica tam praeclare meriti accipite me in fidem vestram, ut quem in hanc studiorum palaestram perhumaniter exceptum hucusque perduxistis, ea qua semper consuevistis benignitate patiamini, sustineatis sapientia, auctoritate confirmetis.

Mercurius qui et *hydrargyrus Graecorum*, et *argentum vivum*, prout latini eumdem nuncupari maluerunt, metallum est fluidum, inodorum, insulsum, coloris ex caesio albicantis, globosam vel globosae proximam naturam adfectans, ter et decies aquae pondus exaequans. Hunc natura in fodinis suis vel parum, vel sub cinnabaris ac salis specie, vel aliis metallis connuptum servat. Cum oxygenio, sulphure, cloro, hyodio, metallis acidisque pluribus chemicam societatem inire potest vel sponte sua, vel ob aliarum virium conflictum, indeque oxyda, sulphura, clorura, hyodura, amalgamata, saliaque varia exoriuntur. Etsi Aristoteli, Theophrasto, Galeno aliisque innotesceret, tamen inter medicam illorum temporum supellectilem neutiquam locum obtinuit, utpote qui deleteria ac venenosa facultate pollere censebatur. Primi omnium Aviemna, Rhazis ceterique Arabes mercurium contra scabiem et alias cutis sordes adhibere ausi sunt, quam Arabum praxin illi alii prosequebantur, qui post renatas literas medicinam fecerunt. Quando vero decedente saeculo XV syphilis, teterrima illa pestis, tunc apud nos non nova, sed novam insuetamque saevitiem datis causis adepta Italiam nostram dira contagione pervasit, ac exinde tamquam fulgur totam Europam corripuit, mercurialis medicina altius erecta caput extulit, ac latam diuque duraturam famam sibi quaesivit. Hanc non casu inventam, sed ab veteri Arabum schola deductam fuisse jam liquet. Principio empyrici et chirurgi eamdem tentasse videntur, ac ubi semel successu compro-

bata esset, non defuerunt vel ipsos inter medicos celeberrimos, qui eam caute adhibitam profiterentur, suisque laudibus exornarent. Quare Ghilinus, Salicetus, Torella, Aquilanus in unguentis ceratisque suis mercurium vivum immiscere non dubitarunt, parca tamen manu, quum ea quae a Torella parabantur, vix quadragesimam mercurii partem continerent, decimam quintam, quae a Ghilino et Aquilano proferuntur.

Etsi mercuriales inunctiones usque ab anno 1797 in usum eductas fuisse constet, tamen Berengarius Carpensis, et Joannes de Vigo hujusce therapiae nisi auctores, saltem evulgatores omnium studiosissimi ac fortunatissimi habendi sunt. Berengarium eundem plusquam quinquaginta millia ducatorum aureorum hisce inunctionibus lucratum fuisse Fallapius refert. Melius mehercle quam Alchaemistae noverat chirurgus ille mercurium vera metamorphosi in aurum mutari, felicitate prorsus nova atque ante illum diem inaudita! Sed jam factum fuerat ob quorumdam impudentiam, ut nimia ac praepropera hydrargyrosi opprimerentur infirmi, quorum non pauci mortem obire cogebantur, ceteri vero qui beatiores visi sunt nasi atque oris ulcere inquinati, marasmo squallentes, diarrhaea paene consumpti, edentati, animam cum saliva exspuentes, post miserrimam diuturnamque poenarum iliadem vix convalescebant. Tam gravi tamque lato hominum exitio commotus territusque Caspar Torrella, idem ille qui in Tractatu de Pudendagra in vulgus tunc misso mercurialem medicinam docuit, mutata de-

472

inde sententia ad accusandum descendit. Advertite, inquiebat ille, tum dignitate, tum eloquio verendus, advertite o qui imperitis istis nebulonibus confiditis, quam falsa jactitent, si vestrum perfectos curatores sese polliceantur. Quam melius humanae gentis carnifices non dicendi essent ii, quorum nulla prudentia, nullum studium, dubitatio nulla medicationi morbo nimis pejori aegros committunt, et mortem exinde provocant, unde salus manare consueverat. Haud igitur mirum videri debet, si omnium animi ab periculoso medicamento abhorrere statim coeperint, et in nefariam aegritudinem, quotidie crudelius serpentem, alius generis auxilia ubique gentium peterentur. Bene quidem mortalibus consulebat Deus quando ex novo orbe tunc recens invento, exoticae illae stirpes ad nos vehebantur pesti omnium truculentissimae quamdam opem allaturae. Hinc lignum guaiaci an. 1517, radix cynae an. 1535, sarsaparilla eodem circiter tempore, et sassafras paulo post inter nos illata, ineffabili plausu excepta ac tanquam humani generis soteria salutata extiterunt. Quarum stirpium virtus antisyphilitica etsi mercurium oblivioni paullisper damnavit, hic tamen non multo diu obsolevit, ejusque usus quorumdam practicorum curis in lucem revocatus iterum vixit, ac prae ceteris ad exterminandam syphilidem inventis primas tenuit, continuataque saeculorum trium experientia adhuc tenet.

Quanti censeretur mercurialis medicina in posterum, satis patet ex historiis. Atqui veteres illi in mercurio usurpando aptiorem methodum ne-

quaquam amplectebantur, quum ad interiorem usum pulveres Joan. de Vigo commendarent, in quibus praecipitatus ruber continebatur, vel argentum vivum uti in pilulis Barbarossa. Extus vero celebrabantur cinnabaris suffimenta, et emplastra, et cerata alia multa variis admodum rebus intermixtis, ideoque incerta quoad exitum ac periculosa. Sed quam tutius quamque felicius praesidio hoc uti nunc licet, post egregiam illam praeparatorum stipem, quibus pharmacia et chemia medicam supellectilem locupletarunt, et post insignia tot practicorum instituta, qui ad id adhibendum salubriorem viam praemonstrarunt! Non amplius illae vigent opiniones prorsus absurdae atque inanes de mercurii agendi ratione, jam prius vulgatae et acceptae. Norunt sane in praesentiarum medici, quid illius facultati mechanicae tribuendum sit, quid chemicae affinitati, quid vitali virtuti sive irritatrici, sive electivae, sive specificae. Jam vero mechanica hydrargyri potestas, utpote quae pondere suo exercetur remedium fere unicum sufficit miserrimi illius morbi, quem *volvulum* appellant, ubi argentum vivum per os ingestum intestini tunicam intus susceptam naturali pressione in locum suum restituit, et faeciosum vomitum compescit, et dolores horrendos sedat.

Majoris momenti existimanda est vis illius chemica, quae juxta diversam oxygenii cui nubit copiam plus minusve efficaciter exeritur. Vehementer enim agunt in animalem organismum protoxyda, fortius dentoxyda, vehementissime salia. Haec enim quum oxygenium et solidis et fluidis

partibus suppeditent mutationes quasdam in earum vegetatione inducunt, unde et molecularum cohaesio imminuitur, et canalium obstructiones aperiuntur, emolliuntur solida, humorum motus per glandulas perque alia viscera liberior alacriorque redditur. Quo sub respectu innotuit jam practicis quam utilem operam conferat in scrophulis, in hepatis, lienis, aliorumque viscerum tumoribus, dummodo hypersthenicus status si unquam aderat per antiphlogistica jam prius fractus extiterit. Quod mercurius oxygenium suum reapse communicet, ab observatis praeclare elucet. Scilicet neminem praeterit quam crebro mercurius metallicus in illorum excrementis detegatur, qui eodem oxydato uti solent. Curiosa quaedam historiola enarratur cujusdam hominis, qui post exactas cum unguento neapolitano inunctiones, argentum vivum per insensibilem perspirationem emittebat. Quare gravis eum timor corripuit, quum videret horologium aureum quod secum ferebat, in argenteum mutari. Ex quo tamen timore liberatus tunc evasit, quum novit hanc metalli metamorphosin ab exhalato mercurio una cum auro societatem adeunte petendam esse. Neque ex eo tantum chemica hydrargyri potestas demonstratur, quia oxygenium organismo praestet, sed etiam in ejusdem subtractione. Argentum vivum in volvulo antea dicto adsumptum, sub oxydi nigri forma magna ex parte dejicitur. Cujus observati laus Moscati et Brera peritissimis clinicis tribuenda est.

Quod si ad vitalem mercurii actionem respici-

mus, ille textus omnes ita adficit, ut neque eos incitet, neque debilitet, sed tertio quodam modo perturbet atque irritet. Qui irritativi effectus ad phlogosin propius accedentes, glandulas lymphaticas, membranas, et organa salivalia electiva quadam affinitate diligunt. Neque isti in aegrotis tantum hydrargyrosi subjectis, sed in sanis etiam contingunt. Quas diras labes exinde referant aurifices et vitrarii, et metallorum fossores, qui pro artis suae munere mercurium tangunt, luculentissime patefecit jam Ramazzini. Principio sapor quidam metallicus et faucium ardor in iis evocatur, foetet halitus, tument ac dolent gingivae, tremunt dentes, et largus ingruit salivae fluxus cum sanguine interdum permixtus. Lingua in volumine suo adeo augetur, ut in oris cavo ulterius contineri nequeat; ulcera praeterea graveolentia in faucibus aperiuntur, unde lurida admodum sanies destillat. Systema sanguineum suis noxis nequaquam caret. et mercurialis febris excitatur cum pulsuum duritie, calore cutis urente, ceterisque irritativae hypersthenìae phaenomenis. Interdum sub istius febris aestu exanthema peculiaris notae in medium prodit, cum morbilloso similitudinem quamdam praeseferens. Nervi etiam adficiuntur, quum ejusmodi artifices et asthmatici fiunt, et paralytici,. et vertiginosi, iis tremunt manus, crura vacillant, mens stupet, totum corpus torpet, dolores et in capite et in ossibus saeviunt, virium debilitas, voluminis decrementum, ad haemophthisin proclivitas, habitus cadaverosus postremo superveniunt. Ab hoc igi-

tur tam suspecto, tamque periculoso medicamento manus abstineant medici, uti hypersthenica conditio sive localis sive generalis emineat. Cautissime vero in illius ministratione incedant, si debili quadam constitutione, aut scorbutica, aut phthisica, aut scrophulosa, aut alius generis dyscrasia organismus obsideatur.

Sed superest ut specifica illius virtus ad trutinam revocetur in lue venerea profliganda tam luculenter manifesta. Quaestio inter medicos diu agitata fuit utrum potestas haec antisyphilitica illius vi stimulanti tribuenda sit, aut illius ponderi physico, aut chemicae oxydandi facultati. Qui pro prima sententia tenent, ii non adverterunt hydrargyri effectus antivenereos nequaquam respondere vi illius incitatrici, stimulum adauctum non essentiales sistere mercurialium effectus, neque enim in tanta remediorum stimulantium segete ullum unquam est quod similes ac hydrargyrus mutationes patrare possit. Qui ex physica humorum divisione specificam illius virtutem cognovisse rati sunt, eos praeteriit alia multa dari medicamenta sanguinem et humores non minus dissolventia, quin proprios exerant hydrargyri effectus. Neque magis lubet eorum opinio, quibus placuit hydrargyri oxydati operatio. Nam si oxygenium unicum esset principium agens, aliae quoque substantiae non minorem oxygenii quantitatem organismo advehentes, eumdem quoque ac hydrargyrus effectum praestare deberent, cui experientia contradicit. Quare non ex sola chemica, nec ex sola mechanica, nec a sola incitante virtute mercurii

actio antisyphilitica ortum ducit, sed ab omnibus simul agentibus, simulque conspirantibus, unde irritativus ille agendi modus eruitur.

Etsi densis adeo tenebris specifica haec agendi ratio obsideatur, tamen lux aliqua nobis effulget, si ad ea, quae praeclarissimus Hartmann nobis ob oculos posuit, animum convertamus. Morbi contagiosi ad sanitatem pervenire nequeunt, nisi post intensum illum organismi renixum, quo fit ut adfecti organi reproductio contingat. Quamobrem contagia febrilia solis naturae viribus commissa sponte curantur, nam febris quae ab iis provocatur, ad immutandam affectarum partium compositionem ex se sufficit. Syphilis contra utpote quae lenta admodum ac paene clandestina actione organismum aggreditur, nec vasorum citam reactionem, nec organorum metamorphosin illam ciere potest, hinc artis eget auxiliis, quae partes a contagiosis moleculis inquinatas vi specifica irritando rapidiori earum reproductioni faveat. Ad hoc egregie conferunt praeparata ex hydrargyro, quum irritativa, ut ita dicam, febris arte excitetur, quae naturalis febris vices gerat. Quod autem a triplici illa mercurii facultate effici judicamus, et si mercurialia, quae oxygenio magis abundant ad curandam luem veneream melius faciunt, hoc ex illa pendet liquatione ac dissolutione, quam oxygenium in textibus adfectis gignit, unde aptius faciliusque integra mercurii oxydati compositio cum organismo animali vivo in conflictum congreditur.

Specificam hanc virtutem contra syphilidem u-

nius mercurii propriam, ad alias stirpes nequaquam pertinere cognitum est ac confirmatum. Veteres medici ut mitiorem medendi methodum profiterentur, ad alia confugerunt specifica, sic vulgo credita, et ad caelum usque laudibus evecta; sed post experimenta plura incassum agitata in ea sententia magis adhaerendum fuit, mercurium unicum esse tam dirae contagionis remedium. Qui licet in manu prudentis peritique hominis voto semper respondeat, tamen non desunt qui contendant nonnulla dari syphilidis exempla per hydrargyrum nequaquam sanabilis. Sed post tam diuturnam saeculorum trium experientiam non adhuc adverterunt practici quomodo venereae labis effectus ab iis distinguantur, qui ab mercurialium abusione consequuntur. Jam vero affectiones istae pertinaces adeo ac rebelles, ut hydrargyro obsistant, non syphiliticae sed mercuriales existimari debent. Et vix ulla unquam syphilis ad sanitatem conducta esset prioribus illis temporibus, nisi ptyalismus iterum iterumque superveniens, ulteriorem hydrargyri exhibitionem prohibuerit, et severior diaeta, venae sectio, antiphlogistica, et diaphoretica mercurialem morbum sub syphilidis larva serpentem quodammodo refraenaverint.

Morbus mercurialis paucis quidem cognitus, qui et in decursu suo regularem ordinem obsequitur, et proprios ostendit characteres, quibus ab alia quacumque infirmitate distinguitur, diligentiorem sibi vindicat medicorum attentionem; nam et crebro admodum contingit, idemque vel negle-

ctus, vel ignotus mala plurima valet inferre. Morbum mercurialem quum dico, peculiare illud intelligo irritamentum in animale corpus ab mercurialium abusu evocatum, quoties vel dosi plus aequa majori aut incongrua methodo ministretur. Neminem praeterit affectionem hanc in contagiorum numero neutiquam complecti debere, utpote quae non ab morboso animali producto, sed a naturalis cujusdam rei potestate noxia originem ducit. Auctores qui in Tractatu de lue venerea damna ex mercurio consecuta describunt, morbum non novum esse patefaciunt. Sed in operibus Svediaur, Sprengel, Richerand, Fritze aliorumque qui de hoc argumento disseruerunt, quaedam tantum signa hinc inde offenduntur in unum nequaquam collecta, e quibus peculiaris istius morbi praesentia minime innotescit. Joan. Hunter mala plura a mercurio proficisci docuit, quae vero non uti morbum sui generis consideravit, sed modo ab effectibus mercurii cum lue adsociatis deducenda arbitratus est, modo ab eodem mercurio qui latentes discrasias in actum evocat. Dignis ergo cumulentur laudibus Carolus Hartmann et Andreas Mathias, qui omnium primi mercurialis morbi singulares notas objecerunt, et in doctrinae ordinem digesserunt. Quod si nimium sero morbus hic inventus esse videatur, hoc illi similitudini tribuatis velim, quam cum syphilitica labe praesefert. Addite quod morbus alius cum alio semper associatur, et phases suas tam arcto nexu uterque simul absolvit, ut mercurialis pro syphilitico hucusque haberetur. Licet mercurialis

morbus in omnibus excitari possit, hic tamen in syphiliticis plerumque observari solet, utpote qui nimiae ac praeproperae hydrargyrosi frequentius objiciuntur. Ille itaque exordietur, si quando mercurius vim suam antivenercam ponat, neque illos amplius bonos effectus pariat, qui ab ipsius usu jampridem eruebantur, quo in casu syphilis etsi non adhuc debellata progressus suos fraenat. Si vero in mercurialibus usurpandis majori nisu ac pertinacia perseveret medicus, tunc phaenomena excitantur a solitis prorsus differentia, ulcera, tumores, et herpetes priorem faciem immutando mercurialis affectionis specificas notas adsumunt.

Praestat morbum hunc mitem a graviori secernere, eumque in localem atque universalem distinguere. Praeterea sciendum est illum adesse posse 1.° uti affectio localis sive in ulcere quodam, sive in bubone circumscripta, dum mercurius in reliquas organismi partes vim suam exerit antisyphiliticam. 2.° uti morbus generalis, quando nempe symptomata omnia sive topica sive universalia aliam induunt naturam novi morbi propriam, dum venereum contagium iners factum silet. 3.° uti morbus generalis contagio eodem jam profligato.

Mitius morbi stadium tunc evolvi dicitur, quando localia syphilidis symptomata, quae jam antea in melius vergebant ex abrupto consistant, servatis tamen syphilitici morbi characteribus. Causa quapropter morbosa mercurii actio venereae labis progressus comprimit, ex eo petenda videtur, quia irritamentum in aliqua organismi parte concita-

tum, irritamenta alia in aliis partibus vel imminuit, vel sedat. Cujus pathologicae agendi rationis plura nobis suppetit exempla experientia clinica, nam ex. gr. ingruente febre blenorrhaea uretralis interdum supprimitur, quae mox redit post febris ipsius cessationem. Ubi igitur morbus mercurialis recens sit et localis, vix eget artis auxilio, et dummodo mercurius suspendatur, affectio omnis ex se cedit. Sed quam longe in communi praxi ab hac expectatrice medicina abhorrent Empyrici, quae unica ad sanitatem aegros perduceret! Statim ac benefici mercurii effectus deficiunt, modo medicamentum culpatur minori quam par est dosi exhibitum, modo alius latentis discrasiae evolutio, modo ipsius syphilidis pertinacia, modo ulcera ad cicatricem nimis cito tendentia. Quare aut mercurius mercurio agglomeratur, aut praeparati genus immutatur, omnia tamen incassum, nam morbus in pejus quotidie irruit, et qui prius localis ac mitis brevi tantum spatio continebatur, nunc gravior factus late patet, et corpus universum invadit.

Ulcera venerea omnia sive gulam, sive praeputium et glandem, sive caput, truncum et artus obsidentia, genuinam naturam reapse permutant, ac mercurialis ulcerationis indolem sibi induunt: item dolores, nodi periostei, atque ossium, tendinum et ligamentorum phlogoses in hanc novam affectionem convertuntur: denique tabes illa quae in syphiliticis postremo supervenit, interdum et in morbo mercuriali contingit. Neque is venerea synptomata quae adsunt permutat, sed nova quae-

dam addit, hinc tumores novos struit, herpetes peculiares excitat, propria ulcera patefacit, qui progressu temporis malignam indolem adepta aeque ac cancerosa nullam amplius curationem admittunt.

Non defuerunt inter medicos, qui ab hac phaenomenorum anomalia perculsi, ea non syphilidi, sed alii morbo tribuenda esse judicaverint. Hinc vel scrophulosa discrasia incusatur, vel cancerosa, vel scorbutica, quae jam prius latentes atque inertes ab mercuriali irritatione evocata eruperunt. Sed istiusmodi affectiones nec mercurialem morbum provocare possunt, nec istae ab illo cieri. Quin imo sui dantur characteres, quibus mercuriale ulcus ab aliis omnibus distinguitur. Et in primis saeviores dolores movet quam venereum, neque ita indolens est uti scrophulosum, nec superficiem adeo fungosam praestat uti in cancro, nec tam facile ad corruptionem intendit uti in scorbuto. Hoc praeterea habet peculiaris morbus mercurialis, quod ulcera sua ad cicatricem semel perducta denuo aperit, atque ubi in parte eorum aliqua sanitatem attigerint, in alia magis diffunduntur latiusque proserpunt. In quo differt ab ulcere venereo et canceroso, quae si dilatari studeant, ea a loco prius affecto, tanquam a centro ad periphaeriam diffunduntur. Inter cetera ulcera mercurialia ea quae gulam et faciem obsident pertinaciora habenda sunt, sequuntur deinde quae ad inguina sedem suam statuunt, mox cancer mercurialis, demum extremitatem morbi.

Diximus jam mercurialem morbum tunc educi,

si quando aut ulcera venerea post quemdam temporis lapsum non amplius in melius vergunt, aut quando in pejus ruunt. Sed fieri etiam potest, ut mercurialis morbus absque externis ulceribus evolvatur, solis doloribus osteocopis permanentibus. Quomodo in hoc casu mercurialis morbus detegendus? Si dolores neutiquam evanescant, si nova phaenomena in medium sese offerant, si mercurialium usus infirmorum saluti obsistat, si mercurius salinus sit, vel ampliori quam par est dosi adhibeatur, vel salinales glandulas ac gingivas minime adficiat, tunc suspicio jure excidet de mercurialis morbi praesentia.

Causae quae morbo huic favere possunt, aliae occasionales sunt, aliae disponentes. Inter disponentes recenseri debent idiosyncrasia peculiaris, quae mercurium respuit, constitutio valde debilis, exquisitior sensibilitas, discrasiae scorbuticae, scrophulosae, cancerosae, habitus pletoricus, et diathesis hypersthenica. His addenda etiam est singularis illa corporis temperies, qua fit ut mercurius ceu antivenereus adhibitus salivalem fluxum nequaquam provocet. Inter occasionales enumerantur improvida atque inepta methodus in inunctionibus peragendis, mercurialium salinorum exhibitio, topica eorum admotio, aer frigidus et humidus, flantibus praesertim ventis australibus, aut hyeme saeviente.

Ut recta morbi cura instituatur in primis ab mercurii usu caveamus oportet. Si localis sit affectio atque recens, tunc sola abstinentia et quiete post dies aliquot ad sanitatem perducitur. Id omne

procul arcendum erit, quod laesarum partium irritabilitatem adauget, quare ubi ulcus vel tumor aliquis valde turgeat ac doleat, atque increscentis phlogoseos indicia praemonstret, tunc venae sectio celebranda atque emollientia ad ulcus detergendum unice usurpanda. Syphilis, quae praesente morbo mercuriali sopitȧ quidem sed non deleta iners jacuit, nunc postquam ille cesserit, iterum vires sumit, suosque effectus parit, quare ulteriorem hydrargyri ministrationem sibi flagitat, ex qua prompta atque indubia redundat utilitas. Hinc facile explicari poterunt abnormitates illae multae, quae in luis venereae curatione saepe saepius occurrunt. Frequenter enim accidit quod mercurius ab initio certo ac regulari quodam progressu syphilitica phaenomena imminuat, sed boni isti effectus sensim cedunt, nulla apparente causa cur morbus ad sanitatem lentius intendat. Adaucta deinde mercurii dosi morbus non emendatur, quin imo in deterius labitur. At si remedium per dies aliquot suspendatur, tunc in rectam semitam redit, et mercurii usu iterum cauta manu revocato, lues paullatim deletur.

Vae medico, si quum primum syphilidis ad sanitatem progressus consistant in mercurii usu diutius perseveret! In dubiis tutior pars est eligenda, et parvi quidem interest, si mercurius paullisper suspendatur in morbis syphiliticis, qui pro mercurialibus falso habiti sunt, dum si opposito errore deficimur, error iste lethalis evadere potest.

Quod si ulcera mercurialia non a locali sed ab universali affectione originem petant, tunc ad ea

curanda frustra accedimus, nisi prius universale illud irritamentum cohibemus. Non tamen locali medela destitui debent; quare ubi antiqua sint, nec nimis diu mercurio subjecta, vel opii pulvere conspergantur, uti docet Mathias, vel cum sulphatis zinci solutione abluantur. Bubones exulcerantes qui in hoc morbo tam late patent quidquid unctuosum est perferre nequeunt. Sunt qui balnea marina pro iis celebrent, perperam tamen, nam mercurialem hanc affectionem cum scrophulosa labe confuderunt. Melius juvant cataplasmata emollientia, atque anodyna si quid extracti cicutae cum iis immisceatur. Quum morbus paullatim cedit, tunc et unguenta digestiva, et tincturae balsamicae atque aromaticae, aptaque ligatura pro ut indicentur, in promptu esse debent.

Interdum noxii mercurii effectus vel ob recurrentes hydrargyroses, vel ob pravam aegri conditionem ad eum gradum evehuntur, qui nullam medelam patitur. Non tamen spes omnis tunc derelinquenda, dantur enim ejusmodi exempla in quibus licet in extremis languerent aegri, tamen opportunis adhibitis auxiliis insperatam salutem attigerunt. Neque nos deterreat, aut ab incepta curatione removeat temporis diuturnitas, aut saepe renascentis morbi pertinacia.

Generalis vel interna morbi therapia in venae sectione praeprimis sita esse debet, dummodo virium debilitas et macies corporis omnem stimulorum substractionem impediant. Fracto itaque erectismo phlogistico, antimonialia per hebdomadam et ultra epicratice sumpta prodesse solent.

Diaeta lactea celebretur, absint vina et spiritus, alvus blandis catarthicis prout opus est aperiatur. Ex hoc et secretiones peragentur alacrius, et vires altius tollentur, et omnia in melius convertentur. In posterum ad perdomandam mercurii irritationem morbificam nullum potius extat remedium quam sarsaparilla et cicuta, in quarum usu diu persistendum erit, iterumque iterumque usurpandae, quoties morbus in scenam redeat. Quod si de homine agatur debilitato, ac ad marasmum prono, tunc antiphlogistica et antimonialia ad rem nequaquam faciunt, nam si ab initio phlogistica diathesis mercurialem irritationem fovebat, nunc ea a virium infirmitate sustinetur et alitur. Huic igitur lautior diaeta concedenda et lac, et vinum, et china, et martialia, et aeris rusticani usus, et quidquid robur erigit. Tali pacto compositis viribus suis ad sarsaparillam et guaiacum confugiat, idemque sedulo caveat, ne aeris vicibus subitaneis, aut hyemis rigori, aut imbris intemperantiae objiciatur, ne morbus ad sanitatem proximus in deterius ruat.

Hactenus de mercurii abusu morbisque ab eo profectis actum est. Omnia quidem summatim tetigimus, ut inauguralis orationis brevitatem decet. Faxit modo Deus ut tandem aliquando ad potentissimum illud pharmacon parcius diligentiusque confugiant medici. Neque enim ii tantum qui in castris Veneris vulnerati fuerunt, ab improvido mercurialium usu sese tueri deposcunt, sed aegri prope omnes auxilium nostrum contra hanc perniciem sibi invocant, quum miserrima ab iis ac-

cumulentur damna ab innocenti infantia ad integram usque senectutem, nec in firmis tantum, sed in iis etiam qui debili corporis valetudine conflictati, tam grave tamque anceps medicamen respuunt. Caveamus ergo ne divinum praesidium in lethale venenum convertatur, ne iis, quas gallica lues in orci familiam demittit, aliae superaddantur victimae ab perverso medicamento immolatae. Sed diatribae finem hic faciam, ne vestrae tolerantiae fines praetergrediar. Vestrum est, Professores egregii, quorum tanta est apud omnes auctoritas, quanta sapientia ac nominis claritudo, vestrum, inquam, est abusionem hanc luctuosam, in dies amplius vulgatam consilio, scriptis, eloquio omnique ope prohibere. Itaque vota haec mea vobis adimplenda libenter trado, eaque faventi animo suspiciatis exoro.

THESES DEFENDENDAE

I.

Homines a ceteris animantibus in eo praecipue differunt, quia tum facultatibus mentis, tum animi appetitionibus ne dum praestant, sed ab libitum egregie uti, vel abuti sciunt.

II.

Nullum hucusque inventum est remedium, quod antivenerea potestate haud dubie instruatur, praeter mercurium.

III.

Praejudicata est eorum opinio, qui omnigenos hydropes a virium debilitate oriri contendunt.

IV.

Syphilis pristinam naturam nequaquam immutavit, licet tot hominum funera non amplius agitet, ut tribus abhinc saeculis.

V.

Multo magis aegros juvat ille medicus qui abstinentiam, quietem et idoneum vitae regimen docet, quam qui multorum remediorum apparatu morbos aggreditur.